

Letter 501: 2 March 1533, Basel, Oswald Myconius to Capito

The autograph original is in Zurich ZB ms. F 81, no. 326.

S. Miramur omnes, qui fiat, ut libros, quos nuper huc misistis, non etiam nobis communes feceritis, tanquam ad nos, quod continent, nihil pertineat. Dum ignoramus causam, fingimus quidem, nescio si recte. Factum enim occasionem praebet de vestris animis non ita bene cogitandi. Utcunque sit, contemni nonnihil videmur. Quod quidem vel ob id aequi consulimus, quia nos nostramque parvitatem ipsi et cognoscimus et agnoscimus confitemurque ingenu[m] contemptibilem esse, sed interim putabamus piorum esse, doctorumque virorum quod exiguum erat in nobis emendare potius, si fieri posset, quam contemnere, consolari potius quam amplius deiicere vilipendendo. Loquimur libere apud te, mi Capito, quod videtur, si erramus, libenter erramus, vel ob hoc, nequid pravi animi sit vobis de nostra simplicitate. Necesse tamen causam subesse, cur quod promisistis iam olim, et nunc tandem huc dimisistis, non etiam nobis velitis esse commune. Et nisi dixeritis ad nos nihil pertinere, nescimus apud nos iustam excusationem, etiamdum diligenter inquirimus. Sed hac de re satis.

Quae scripsisti de Caesare deque concilio exposui consuli. Videtur quod et aliis, ut tu quoque significas, Papam quaerere, ut elabatur, nequid gravioris detrimenti patiantur aliquando res ipsius. Iampridem in hoc est enim papa, ut non literis sedem suam tueatur, sed armis, si fieri posset. Scripsit olim, disputavit, invisit conventus principum, invocvit auxilium, sed hactenus frustra, quid aliud ageret nunc, quam quod agit? Conciliis non subvenietur sedi Romanae, ni talia sint, ut violentia contendatur, non scriptura Dei. Illam si eripueris, non sinet profecto papa rem ad concilium pervenire. Sed quicquid futurum sit, orabimus Deum, ne iacturam patiatur ecclesia ipsius.

Nomine doctoris me volebas donari? Quam ob rem, mi Capito? Ut parvus minor fierem? Contemptus contemptior? Dico quod sentio, amo te, et condigne quidem, qui tanto nomine me velles adornari, sed interim unum hoc tu solum respicere videris, ut primus hic suggestus non careret suo honore, non cogitans quam nihil inde scientiae Dei mihi accessurum esset. Quid tamen? Haberet honorem suum suggestus. Ego talis essem, qualis prius, et utinam ne deterior, et multis modis deterior, id quod in praesentia volens taceo. Non decet, ut testimonium doctorum habeat indignus. Nec minus, ut testimonio docti non vero indignum promoveant. Hic foedus, illi non aequi redderentur. Praestat, ut orneris doctrina quantulacumque, quam ut titulo magno contamines quicquid id est, quod habes. Nam doctrinam Christi fieri commendatiorem populo tam abest, ut apud me valeat, ut singulis fere concionibus nihil inculcem diligentius quam ut verbi autoritas maneat apud illum integra. Non enim vel ab homine, vel a titulo aliquo convenit illud aestimari. Si non fierem asinus, quod dicere solemus, coronatus, plus me moveret urbis gloria, ad quam ornandam promptus essem omnibus viribus. Verum dum meo me pede dimetior, invenio, ut malim non esse quod sum quam fieri quod urbem esset dehonorablem. Boni consulito, quod dico. Nihil enim non ex pectore dico simplicissime. Vale per Christum cum tuis, et me amare pergito. Basileae. II Martii anno XXXIII.

[Address]: Ad Capitonem, virum omnibus modis absolutum, amicum et dominum suum.  
Strasburg.